Joel

per capite omnes habitatores terre: si factum
est istud in diebus tuis: aut in diebus patrum
tuorum: Super hoc filiis tuis narrate
et filii vestri filiis suis: et filii eorum
generationem alteram: Residuum eruce
comedit locusta: et residuum locuste
comedit bruchus: et residuum bruci
comedit rubigo: Expergiscimini ebrii
et flete: et ululate omnes qui bibitis
vinum in dulcedine: quoniam
perit ab ore vestro: Gens enim ascendit
super terram meam: fortis et innumerabilis:
Dentes eius ut dentes leonis:
et molares eius ut catuli leonis: Posuerunt
vineam meam in desertum: et ficum
meam decorticaverunt: Nudans spoliavit
eam: et projecit: albi facti sunt rami
eius: Plange quasi virgo accincta
sacco: super virum pubertatis suae: Perit
sacrificium: et libatio de domo domini: luxerunt
sacerdotes ministri domini: De
populatus est ager: luxit humus: quoniam
devastatum est triticum: confusus est
vinum: et languit olea: Confusi
sunt agricolae: ululaverunt vinitores
super frumento: hordeo: quia perit
messis agri: et vinea confusa est: et fic
languit: et algentium: palma et
malum: et omnia ligna agri aruerunt:
quoniam confusum est gaudium a filiis
hominum: Accingite vos: et plangite sacerdotes:
ululate ministri altaris: Ingredimini
cilicio: ululate ministri dei mei:
quoniam interiit de domo dei vestri sacrificium
et libatio: Sanctificate ieiunium:
vocate coetum: congregate senes: et omnes
habitatores terre in templum dei vestri:
et clamate ad dominum: A a a diei quia
prope est dies domini: et quasi vastitas a
potente veniet: Nunquid non coram oculis
vestris alimenta perierunt: de domo dei
vestri letitia: et exultatio: compruerunt
iumenta in stercore suo: Demolita sunt
horrea: dissipatae sunt apothecae: quoniam
confusum est triticum: Quid mugiunt
iumenta: mugiunt greges armentorum:
quia non est pascua eis: Sed greges
pecorum deperierunt: Ad te domine clamabo:
quia ignis comedit speciosa deserti:
et flamma incendit omnia ligna regionis:
Sed et bestiae agri quasi ad te cervi
desiderabunt: quoniam exsiccatae sunt fontes aquarum: Et ignis
devoravit speciosa deserti.

Canite tuba in Sion: ululate in monte
sancto meo: Conturbentur omnes
habitatores terre: quia venit dies domini:
quia prope est dies tenebrarum et caliginis:
dies nubis et turbinis: Quasi
mane expansum super montes: populus multus
et fortis: similis ei non fuit a principio
et post eum non erit usque ad annos generationis
et generationis: Ante faciem eius ignis
devorans: et post eum exurens flamma:
Quasi ortus voluptatis terra coram eo:
et post eum solitudo deserti: nec est qui ef
fugiat eum: quasi aspectus equorum as
pectus eorum: et quasi equites sic cur
rent: Sicut sonitus quadrigarum super
capita montium exultent: sicut sonitus
flammae ignis devorantis stipulam:
velut populus fortis praeparatus ad pre
lium: A facie eius cruciabuntur populi:
omnes vultus redigentur in ollam:
Sicut fortes current: quasi viri bellatores ascendent murum: Vir in viis
suis gradietur: et non declinabunt a semitis
suis: Vir quemquam fratrem suum non
coarctabit: singuli in calle suo ambulabunt: Et per fenestras cadent: et non
demolientur: Urbem ingredientur: in
muro current: domos conscendent: per
fenestras intrabunt: quasi fur: A facie
eius contremuerunt terra: moti sunt cae
li: sol et luna obtenebrati sunt: et stellae
retraxerunt splendorem suum: Et do
minus dedit vocem suam ante faciem exercitus
sui: quia multa sunt castra eius nimis
fortia: et faciens verbum eius: Magnus
enim dies domini: et terribilis valde: et
quis sustinebit eum: Nunc ergo ait do

corde meo convertemini ad me dicit dominus in ieiunio et fletu et planctu et scindite corda vestra et non vestimenta vestra: Et convertimini ad dominum deum vestrum quia benignus et misericors est patiens et multe misericordie et prestabilis super malitia. Quis scit si convertatur et ignoscat deus et relinquat post se benedictionem. Sacrificium et libamen domino deo vestro. Canite tuba in sion sanctificate ieiunium vocate cetum congregate populum sanctificate ecclesiam. Congregate senes parvulos et lactentes ubera. Egrediatur sponsus de cubili suo et sponsa de tabalamo suo. Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri domini et dicent: parce domine parce populo tuo et ne des hereditatem tuam in opprobrium ut dominentur eis nationes. Quare dicant in populis ubi est deus eorum? zelatus est dominus terram suam et pepercit populo suo: Et respondit dominus et dixit populo suo: Ecce ego mittam vobis frumentum et vinum et oleum et replebimini ea: Et non dabo vos ultra in opprobrium gentibus: Et eum qui ab aquilone est procul faciam a vobis et expellam eum in terram inviam et desertam faciem eius ad mare orientale et extremum ad mare novissimum: Et ascendet fetor eius et ascendet putredo eius: quia superbe egit. Nolite timere terra gaudete et letamini quia magnificavit dominus ut faceret: Nolite timere animalia agrorum quia germinaverunt speciosa deserti quia lignum attulit fructum suum ficus et vinea dederunt virtutem suam: Et filii sion exultate et letamini in domino deo vestro quia dedit vobis doctorem iustitie et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum sicut in principio et implebuntur aree frumento et redundabunt torcularia vino et oleo: Et reddam vobis annos quos comedit locusta bruchus et rubigo et erugo: fortitudo mea magna quam misi in vos. Et comedetis vescentes et satiabimini

per prophetam ecclesiam ordinare senes

et laudabitis nomen domini dei vestri qui fecit vobiscum mirabilia: Et non confundetur populus meus in sempiternum: Et scietis quia in medio israel ego sum et ego dominus deus vester et non est amplius et non confundetur populus meus in eternum: Et erit post hoc effundam spiritum meum super omnem carnem et prophetabunt filii vestri et filie vestre. Senes vestri somnia somniabunt et iuvenes vestri visiones videbunt: Et super servos meos et ancillas meas in diebus illis effundam spiritum meum: Et dabo prodigia in celo et in terra sanguinem et ignem et vaporem fumi: Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem antequam veniat dies domini magnus et horribilis: Et erit omnis qui invocaverit nomen domini salvus erit quia in monte sion et in hierusalem erit salvatio sicut dixit dominus et in residuis quos dominus vocavit.

Hoc erit in diebus illis et in tempore illo cum convertero captivitatem iuda et hierusalem congregabo omnes gentes et deducam eas in vallem iosaphat: Et disceptabo ibi cum eis super populo meo et hereditate mea israel quos disperserunt in nationibus: Et terram meam diviserunt et super populum meum miserunt sortem et posuerunt puerum in prostibulo et puellam vendiderunt pro vino ut biberent: Sed quid mihi et vobis tyrus et sidon et omnis terminus palestinorum? Numquid ulciscendam me vobis inferetis et si ulciscimini me cito et festinanter reddam vobis retributionem vestram vobis super caput vestrum: Argentum meum et aurum tulistis et desiderabilia mea et pulcherrima tulistis in templis vestris: Et filios iuda et filios hierusalem vendidistis filiis grecorum ut longe facietis eos de finibus suis: Ecce ego suscitabo eos de loco in quo vendidistis eos: Et convertam retributionem vestram in caput vestrum: Et vendam filios vestros et filias vestras in manibus filiorum iuda

et venundabunt